

MAGNIFICO ET

EXCELLENTISS. VIRO, D.

GEORGIO FUGGERO, DOMINO

in Kirchberg & Weissenhorn, Sac. Caf. &

Reg. Mai. Consiliario, Do. & patrono

suo colendiß. Ioan. Schröter.

Cum superioribus mensibus, Georgi Fuggere, vir excellentiß. ex Italiae studijs ad uxorem liberosque meos carissimos Viennam redirem, vir optimus Michael Meule, qui Ex. T. ac inclytæ vestræ familiæ negocia summa fide apud nos administrat, mihi multa de virtutibus tuis, ac singulari in optimis artibus profectu, excellentique earum cognitione, Mathematicarum maxime artium, in quibus ita te profecisse intelligo, vt etiam cum summis artificibus conferri possis, iucundè narrabat. Qui sermo, cum eum postea mihi sepius renouaret, quando salutandi gratia eum accessissem, quod frequenter accidit, me tibi ita deuinxit, vt diu multumque cogitarim, qua potissimum ratione me T. E. insinuare possem. Sed rerum mearum statum in his cogitationibus memoria repetenti mihi aliæ & quidem plures causæ occurrerunt, quæ me ab his ipsis cogitationibus retraxerunt. Nam etsi optimè noueram, singularem vestræ familiæ esse bonitatem, qua multi hac ætate ad eruditionis summæ fastigia peruenerunt: tamen meæ vitæ ratio ea hætenus fuit, vt id me tentare non satis commodum fuerit. Ita enim à primo ætatis tempore me-

am institueram vitam, ne cui vnquam molestias adferrem. At in hoc rerum cursu, vbi optimus quisque clarorum virorum studia consequi desiderat, aliter mihi faciendum video: ac vt non molestum esse animaduerto, magnis viris ipsorum studia & benevolentiam à nostri ordinis hominibus expeti, ita video multos inuitari, vt benevolentiam ipsorum experiantur. Hæc cum ita esse intelligam, ego omni pudore pristino abiecto, T. Excellentie Iacobe Fuggere, me credere volui. Et quoniam has Medicas dissertationes à me in hac inclyta Medicorum Viennensium schola scriptas, ac publica disputatione discussas, certis quibusdam de causis edere instituissem, T. Excellentie easdem inscribendas duxi, vt T. Ex. cui me totum tradere cupio, videat, quid de me expectare postea debeat. Spero aut, quemadmodum ex alijs præclaris vestris factis conijcio, T. Ex. hoc meum institutum non ingratum fore, maximè cum ab optimo animo proficiscatur: & ego posthac ita viuere decreuerim, ne T. Ex. vnquam pœniteat, me in numerum tuorum clientum receptum fuisse. Benè & feliciter vale
Vienna. Calend. Decemb. Anno 1551.